

DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
ENTE REALI

Quam

DEO OPTIMO MAXIMO CLEMEN-
TER AUXILIANTE

nec non

*Permissu Spectatissimi Collegii Philosophici in
Academia Salanâ,*

P R Æ S I D E

M. HENRICO RIXNERO
HELMSTADIO-SAXONE

Publico placidoq; doctorum examini submittit

JOHANNES RICHTER
ROCHLIZENSIS,

In Auditorio Philosophico

Ad d. Maji

Horis ante meridiem solitis.

J E N Æ

Excudebat CASPARUS FREYSCHMID.

ANNO M. DC. LVI.

Coll. diss. A
213, 19


Coll. Diss. A. 213. (19)

Sächs.
Landes-
Bibl.



DEUS VIVIT!
DE
ENTE REALI
DISPUTATIO.

THESIS PRIMA.

uemadmodum alias plurimę apud Philosophos reperiuntur voces, quę ex numero sunt τῶν πολλὰ ἄλλως λεγόμενων, seu eorum, quę multis modis dicuntur: Ita non minus ENS, sive vocabulum ENTIS, propter variam acceptionem, eum in censum refertur & referri debet. Sanè referri, ipsum Philosophorum primatem Aristotelem adstipulantem habemus. Libri enim tertii, vel juxta editiones alias, quarti τῶν μετὰ τὰ Φυσικά, caput alterum ordiens inquit: τὸ δὲ ὄν λέγεται μὲν πολλὰ ἄλλως, *Ens autem multipliciter quidem dicitur.* Nos equidem omnes & singulas ENTIS acceptiones ac significationes nunc non proponemus, cum nec instituti ratio permittat, nec ab autoribus prætermittas eas videamus: Unam tamen atque alteram, examine addito, hęc in vertice adduxisse, fortassis & operę pretium est, & necessitas postulat.

II.

Imprimis igitur observandum, Ab Aristotele ENS nonnunquam sumi, prout idem est quod VERUM: quomodo oppositum habet NON - ENS, quatenus

illud tum **FALSO** coincidit. Hâc ratione quicquid verum non est, entis nomen non meretur. Capi autem ita à Philosopho, expressa verba ejus monstrant, quæ habet lib. IV. Metaphysicorum cap. VII. τὸ εἶναι σημαίνει καὶ τὸ εἶναι, ὅτι ἀληθές. τὸ δὲ μὴ εἶναι, ὅτι οὐκ ἀληθές, ἀλλὰ ψεῦδος. *Ipsum esse, & ipsum est, significat quod verum est: ipsum v. non esse, quod non verum sed falsum.* Nonnunquam pro **ENTE PER SE**, quod figuras prædicationis complectitur. Vel ut ibidē, & paulò quidē ante, Aristoteles loquitur; quod figuras prædicationis significat. Verba sunt: καὶ αὐτὸ δὲ εἶναι λέγεται, ὅσα περ σημαίνει τὰ σχήματα τῆς κατηγορίας. ὅσα χῆς γὰρ λέγεται, τοσούτω ὡς τὸ εἶναι σημαίνει. *Per se verò esse dicuntur, quæcunq; significant prædicationis figuras. Quoties enim dicuntur, toties ipsum esse significant.* Quod autē τὸ εἶναι sive **ESSE**: itē τὸ εἶναι seu **EST**, frequentissimè apud Aristotelem denotet τὸ οὗ hoc est, **ENS**, sufficiat saltim indicasse: nec enim prolixè monere opus.

III.

Hanc distinctionem, qua **ENS** idem interdum est quod **VERVM**: interdum verò prædicationis figuras complectitur; Thomas quoque proponit, libello de Natura & Essentia rerum, (quem vulgò de Ente & Essentia vocant, ut notatum est Gerardo Matthiæo Geldriensi in frontispicio, & præfatione ad Matthiam Cremerium Aquensem) cap. I. & *Ens, inquit, per se dupliciter dicitur: Uno modo, quod dividitur per decem genera Prædicamentorum: Alio modo, quod significat propositionum veritatem.* Quam ipsam sententiam etiam inseruit Commentariis ad quinti Metaphysicorum Aristotelis caput septimum, lectione, ut Thomas appellat, septima; & ait, Philosophum distinguere ens, quod est
extra

extra animam, per decem prædicamenta (vocatquè illud, ens perfectum ; Ponere quoque eundem alium entis modum, secundum quem *ESSE* & *EST* significant propositionis veritatem. Cum enim, inquit ibi Thomas, *dicimus aliquid esse, significamus propositionem esse veram: & cum dicimus non esse, significamus non esse veram.* Et hunc alterum modum Thomas comparari putat ad primum, sicut effectus ad causam. Pergit. *Ex hoc enim quod aliquid in rerum natura est, sequitur veritas & falsitas in propositione, quam intellectus significat per hoc verbum, est.*

IV

Verùm enim verò etfi in hoc cum Aristotele Thomas benè conveniat, quod *ENS* non tantùm summat pro eo, quod complectitur figuras prædicationis, sive, per decem prædicamentorum genera dividitur; sed & quod significat *VERUM*, vel *VERITATEM PROPOSITIONUM*: Discrepat tamen ab eo, & plane abit in expositione alterius membri: quippe in adducto de Ente & Essentia libello, *Ens*, quatenus sumitur pro veritate propositionis, (quod est alterum membrum) ita explanat: *Horum, aens, differentia est, quod secundo modo dici potest ens omne illud, de quo affirmativa propositio formari potest, etiamsi illud in re nihil ponat. Per quem modum privationes & negationes entia dicuntur. Dicimus enim quod affirmatio est opposita negationi, & quod cæcitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici ens, nisi quod aliquid in re ponit, unde primo modo cæcitas, & huiusmodi non sunt entia.* Hæc ita ipsemet Thomas. Et eandem quoque explicationem in citatis *Metaphysicis* commentationibus suggerit: ubi cæcitatem, juxta posteriorem modum *Ens* esse opinatur, & ex eo qui-

dem, quod vera est propositio qua dicitur, aliquid esse cæcum. Verbi gratiâ, si efferas: Petrus est cæcus: vel, cæcitas est in oculo. Ultraque enim propositio vera est.

V.

Licet autem eum in modum hoc distinctionis membrum Thomas explicet, mentem tamen & verba Aristotelis non satis assecutus est. Aristoteles enim Ens accipit, prout idem est quod VERUM, sive VERITAS PROPOSITIONIS: Id Thomas per hoc explanat, quod sit illud, de quo affirmativa propositio formari potest; cum obvium sit & liquidum, aliud esse IPSAM PROPOSITIONIS VERITATEM, aliud ID, DE QUO PROPOSITIO VERA FORMATUR, seu formari potest. Rem declarabo. Veritas est conformitas vel ipsi intellectus, vel enunciationis, cum re. At verò res, de qua vera propositio formatur, non statim est ejusmodi conformitas. Unde manifestum est, diversissima esse, veritatē ipsā propositionis, & id de quo propositio vera formatur. Quæ vel ex terminis nota esse possunt. Largimur itaque, ipsū illud distinctionis membrum, pro ut à Thoma quidem ponitur, tolerandum esse, & cum Aristotelis opinione convenire: Utrumque enim bene se habet, si ve dicas, Ens hoc modo sumi pro VERO, sive PROPOSITIONIS VERITATE. Explicatio verò, quam Thomas subjunxit, tantum abest, ut cum Philosopho concordet, utpotius ei refragetur, & crassas nebulas intendat.

VI.

Heic loci (ut hoc addā) de Ente agentes, nō id sumim', quaten' propositionū significat veritatē, quanquam & illā reale quid esse nemo aliàs inficietur: Sed prout dividitur

viditur

viditur per decem prædicamenta, vel, ut Thomam loquentem audivimus, prædicamentorum genera, sive quod eodem recidit, quod significat τὰ εἴματα τῶν κατηγορημάτων, *figuras prædicationis*, juxta Aristotelem.

VII.

Dividitur porrò ENS in NOMINALE & PARTICIPIALE. Participiale, sive, quod tale est in vi participii, dicitur illud quod revera & actu est, seu existit. Nominale verò, sive in vi nominis, quod non repugnat existere. Hæc distinctione nihil communius est, nihil receptius. Nominale ens dicunt complecti tum ea, quæ sunt actu, & existunt, tum quæ potentiâ sunt, hoc est, quæ non existunt quidem, aut actualiter sunt, esse tamen & existere possunt. Hac ratione angeli, materia prima, anima rationalis, antequam crearentur: Mundus, homo, bruta, antequam producerentur & generarentur, erant entia, sed nominalia; omnique infans jam nascendus, anima que rationalis creanda, entia nominalia erunt: Quanquam enim nondum sint aut fuerint, possunt tamen & potuerunt aliquando esse, ac reapse existere.

VIII.

Atqui verò, jure meritò de posteriori hac entis acceptione, quatenus sub se comprehendit etiam id, quod nondum est, potest tamen esse, dubitatur, an locum inveniat. Plane enim non video, quâ ratione, id quod non est, absolutè ens queat dici, sive ei, quod entitate omni destituitur, absolutè entitas tribui. Decidat sententiam, & pro nobis clarè ac rotundè loquatur Aristoteles; quem utique sequentur, qui verè Philosophari volunt. Sub finem capituli III. lib. IX. Metaph. ita ille; Δὲ καὶ τῶν μὴ ἔσιν ἔκ ἀπιδόσασιν τὸ κινεῖ-

σθαι

ὄντων, ἀλλὰ αἱ οὐ πῶς καὶ ἡγερέται. εἰν διακρίσει καὶ ἀποκρίσει
 εἰ αὐτὰ μὴ ὄντων, κινέμενα δὲ ἔ. Τῆτο δὲ ὅτι ἐν ὄντων ἔ ἐργεία,
 ἐπὶ αὐτὰ ἐργεία. Τῶν γὰρ μὴ ὄντων, ἐνα δυνάμει ὄντων. ἔα ἔπ δὲ,
 ἐπὶ ἔ ἐργεία ὄντων. *Quare non entibus non attribuunt
 ipsum moveri, sed alias quasdam predicationes, ut puta
 intelligibilia, & desiderabilia esse ipsa non entia, non au-
 tem mota: Hoc autem, quia cum non sint actu, erunt actu.
 Nonentium enim quedam potentia sunt, non autem sunt,
 quoniam actu non sunt. Expresse hinc docet Philosophus,
 ea quæ potentiâ sunt, absolutè non esse; ratione datâ,
 quod actu non sint, aut existant. Jam dicimus: Quic-
 quid actu non est, absolutè loquendo non est Ens: Ens
 potentiâ actu non est, ut patet: Ens ergò potentiâ,
 absolutè ens vocari nequit. Advertit ea quoquè &
 explicat judiciosissimus, dum viveret, Philosophus
 Daniel Stahlus noster, in Discursu ad Tabularū Me-
 taphysicarum secundam. Verba, quoniam prolixa non
 sunt, nec minus tamen perspicua, huc adponemus:
*Notandum circa hanc entis participialis & nominalis
 distinctionem, non omne id, quod est Ens nominaliter acce-
 ptum, absolutè esse Ens, sed quedam esse tantum entia cum
 appposito. Nempe ens, ut nomen sive nominale, comple-
 ctitur non solum entia actu & participialiter accepta, sed
 etiam entia potentiâ. Entia autem potentiâ non sunt ἀ-
 πλῶς entia, ut ea que sunt actu, sed cum appposito & secun-
 dum quid. Nam quicquid est, actu est. Jam autem
 Ens potentiâ non est actu, Ergò non est. Quicquid ergò ab-
 solutè non est, id etiâ absolutè non est Ens. Hæc acutissimus
 Præceptor noster.**

IX.

Verbo: contradictionem non effugit, qui Ens
 nominale, prout continet sub se illud quod nondum
 est,

est, potest tamen esse, pro absoluto venditat. Hoc enim
stante, de eo affirmare licet, quod Si T. E. g. Ens nomi-
nale (quod est potentiâ) EST. Jam verò novimus, quod
Verbum in Enunciatione, ubi quidem copula non est
distincta à prædicato, resolvi debeat in copulam & par-
ticipium à verbo deductum, verbi causa, Paulus cur-
rit. Petrus EST. Idem est ac si dicam. Paulus est
currens: Petrus est existens: ubi verbum resol-
vitur in copulam EST, & participium suum, quod
est τὸ CURRENS & τὸ ENS sive EXISTENS. Parili
igitur modo in adducta propositione: Ens nominale
(quod potentiâ est) EST: verbum EST, quod prædi-
catum involvit, erit resolvendum, nempe per τὸ EST
EXISTENS. Et ita propositionis sensus hic est: Ens no-
minale (quod nondum est, esse tamen non repugnat)
est existens, h. e. actu est. Existere autē & actu esse: & non
existere, nec actu sed potentiâ esse, apertissimam con-
tradictionem monstrant: quam propterea, ut dixi, op-
pidò incurret, qui nominale Ens, ut complectitur ens
potentiâ, pro absoluto venditat. Ista ratio, nisi me om-
nia fallunt, erit sufficiens, & contraria assertentē stringet.

X.

Hanc autem entis nominalis acceptionem re-
spexisse, & digito quasi monstrasse videntur, qui ENS
per non-repugnantiam ad existere, sive, quod idem est, per
essendi possibilitatem, descripserunt. Ita Petrus Hur-
tadus de Mendoza Disputat. II. sect. II, num. VII. *Ens
est, inquit, quod non repugnat existere. Quis non videt,
Ens nominale Mendozam hinc mente voluisse, præ-
primis cum in antecedentibus id quoque inculcave-
rat? Similiter Eustachius à Sancto Paulo Part. 1. Me-
taph. Disput. 1. quæst. 1. in fine, Ens, dicit esse id, quod
verè est, aut esse potest: Includens adeò non id tantum,*

B

quod

quod actu est & existit, sed & id, quod potentiâ, & actu nondum, est. Equidem non nescimus, τὸ posse esse, non statim inferre id, quod nondum est: quæ enim actu sunt, similiter esse queunt: nisi enim esse possent, actu quoque ipso non essent: Velle tamen Eustachium per τὸ posse esse idem denotare quod nondum est, sed esse potest, clarum videtur: Cum τὸ posse esse, opponat in entis sua descriptione ei, quod verè & actu est, ut sit sensus: Ens est id quod actu est, vel potentiâ: quorum utrumque termino non-repugantia ad existendum, Mendoza inclusit. De hisce & similibus descriptionibus quid sentiendum, puto ex dictis sine negotio posse animadverti.

XI.

Ulti verò has, ita quoque & majori quidem jure, aliorum, graviozem errorem in ente describendo errantium, quales quales delineationes repudiamus: quos inter primas ferat Avicenna, cujus sententiâ Ens significat *accidens quoddam commune rebus omnibus existentibus*; (ut prodit Thomas 1 b. IV. Metaph. comm. III. & X. Met. com. VII. & ex eo Svarez Disput. Metaphys. tom. I. Disp. II. sect. IV. num. 1.) *Nimirum*, ut Svarez explicat, *ipsum esse, quod, juxta Avicennæ sententiam, rebus accidat*. Avicenna itaque si hanc, quam Thomas & Svarez tribuunt, opinionem sectatus est & defendit, crassè impegit: Per τὸ accidens enim vel intelligit id quod prædicabile vocant, vel prædicamentale. Quorsum tandem velit Avicenna, offendicula habebit: Neutrum quippe salva hîc veritate intelligi potest. Non prædicabile: cum enim hoc juxta Porphyrium cap. V. εἰσὺν ἡμεῖς, sit illud, ἐνὶ τῷ οὐκ ἔστιν ἄνευ τῆς τῆς ὑποκειμένης οὐσίας, quod adest & abest sine rei subjectæ interitu: (quam definitionem bonam

nam

nam esse, ex autorum ductu nunc præsupponimus) h. e. quod salvâ manente rei essentiâ, de aliquo potest affirmari & negari: liquet, de ente dici nequaquam posse, quod sit accidens prædicabile: Ens enim à re, quæ dicitur Ens, non potest abesse, ut salva ejus & incorrupta permaneat essentia: id quod tamen omni prædicabili accidenti competit.

XII.

Nequè ens significat accidens, si prædicamentale accipiat Avicenna. Notum enim est, quod prædicamentale accidens substantiæ opponatur: (Loquimur ex communi sententia) quod sane de ente dici non potest, cum hoc de illa prædicetur. Rectè enim dicitur, quod substantia sit Ens. Iam, quicquid alteri opponitur, de eo prædicari nequit. Ens autem de substantia potest prædicari. Ergò huic non opponitur. Si non opponitur substantiæ, nequit esse accidens prædicamentale: quia, ut modò dicebamus, quod tale est, substantiæ è diametro opponitur: ita ut substantia planè accidens esse non possit, nec possit accidens esse substantia. Cum igitur aliud accidens non supersit, neutrum verò entis naturâ declaret, prædicabile sive, sive prædicamentale adferamus, & Ens tum subjecto, quod ens est, semper adsit, tû de substantia quoque prædicari valeat; apparet, Avicennam hæc suâ in sententiâ non tantû non attentû, sed & frivolum ac falsum fuisse. Hæc tamen, quod jam tû monui, loquor ex communi sententia. Aliàs non ignoro, posse etiam accidens prædicamentale substantiam esse, & præter prædicabile ac prædicamentale accidens, dari tertium, nempe physicum; quod tamen Avicennam nihil juvat.

XIII.

Stent post Avicennam, qui ens describunt &
B 2 describi

describi posse approbant, quod sit illud, quod ex suis
principiis compositum habeat essentiam. Quam similiter
descriptionem vitiosam esse, probatu haud difficile est.
Ex principiis enim compositum esse ad rationem for-
malem entis nequaquam pertinet, neque omni illi
convenit, quod entitatem habet, sive de quo dicitur
quod sit ens. Quinimo, ut luculenter rem ostenda-
mus, si ratio est formalis entis, ex principiis esse com-
positum, & per hoc illud describi potest: Intelletur
compositio vel realis, vel rationis. Si realis, Ergò
vel est ex materia & forma, vel ex subiecto & acciden-
tibus, vel ex partibus integrantibus, & si quæ alia no-
minari potest. Jam verò nulla ex compositionibus
hiscæ enti ut sic competit: si enim hoc, Ergò DEO,
non minus competit, cum & ille in numero entium
contineatur, & Ens prædicari de eo queat: quod
quidè constat, & nunc meritò præsupponim⁹. Si ergo,
inquam, ex principiis compositum esse compositione
reali, competeret enti ut est ens, sanè æquè prædi-
cetur de DEO, compositum esse compositione reali:
quæ tamè qualiscunq; tādè sit, divinæ naturæ repugnat.
Stantibus ita istis, concludimus, ens describi non pos-
se, quod sit compositum ex principiis suis, compositio-
ne quadam reali. Sed nec compositio rationis, qua-
lis est illa quæ ex genere & differentia constat, locum
hîc invenit, nec in allata entis descriptione commo-
dè intelligi potest: cum illa loquatur de compositi-
one absolutè sic dicta, quæ compositioni rationis vix
ac ne vix quidem tribuitur. Alias descriptiones, quæ
multæ & variæ sunt, nunc relinquimus.

XIV.

Quomodo ergò ens absolutè sic dictum tandem
describetur? Non absque causa dicimus. *Ens absolu-
tè*

tè dictum: Ens quippe nominale, quatenus suo ambitu
continet id quod nondum est, potest tamen esse, aliquo
modo posse vocari Ens, non quidem negamus: Nega-
mus autem posse entis absolutè sumpti nomine venire.
Si igitur id appellatur ens, appellatur cum appposito,
quod nempe sit ens potentiâ: quæ omnia, etiam Ari-
stotelis autoritate firmata, ex superioribus tatis, ni fal-
lor, liquent. Dicim⁹ itaque: *Ens absolutè, est id, quod est
extra causas, seu quod existit.* Didicimus enim iamdum
ex philosopho, ea, quæ potentiâ sunt, non esse, quia acti
non sunt. Unde sponte sua consequitur, illa absolutè
esse, quæ actu sunt; & sic ea absolutè quoque vocanda
enim, quæ actu sunt & existunt. Quo posito, de veritate
descriptionis nostræ puto constare.

XV.

Difficultas tamen una, quæ non exigua vide-
tur, hîc erit summovenda. Dum enim stat uimus, ad ens
absolutè requiri ut existat, & sic id, quod actu nondum
est, esse autè potest, non dicendū ens absolutè; obijcias
fortè propositiones ut vocantur, perpetuæ veritatis,
eæ in quibus etiam de rebus non existentibus materia
necessaria enunciantur realia predicata. Unde pos-
set inferri: De quo enunciatum prædicatum reale, illud
est ens reale, & consequenter Ens absolutè: sed de eo,
quod potest esse, actu a. non est, enunciatum prædicatū
reale. E. id quod potest esse, actu autem non est, est ens
reale, & per consequens ens absolutè. Major probatur:
quia inter prædicatū & subjectū esse debet identitas nu-
merica. Quod si itaq; prædicatū est ens reale, non potest
non subjectum pariter ens esse reale, cum sit idem
cum prædicato. Probatur quoque minor: si enim e. g.
nullus homo in rerum esset natura: nihilominus verè

B 3

dicerē:

dicerem : Homo est Animal ; In qua propositione ANIMAL, tanquam prædicatum reale, dicitur de homine, qui non est.

XVI.

Ne nos hic scrupulus nimium urgeat, de propositionibus perpetuæ veritatis, quædam, sed pauca, adjungemus. Est autem non una circa has ipsas controversia. Quidam, ut Svarez testis est, disputat. Metaph. XXXI sect. XII. num. XXXIX. & XL. illas propositiones dicunt in creaturis non esse perpetuæ veritatis, sed tunc incipere veras esse, cum res fiunt, & veritatem amittere, cum res pereunt. Hæc sententia à Svarezio rejicitur. Alii, ut Thomas, opinantur, destructâ creaturarum existentia hæc enunciationes esse veras, non in se, sed in intellectu divino: quod iterum Svarez improbat: quia, hoc modo non solum hujusmodi enunciationes, in quibus attributa essentialia prædicantur, sed omnes etiam accidentales seu contingentes, quæ vera sunt, habent veritatem perpetuam in intellectu divino.

XVII.

Iuxta Svarezium igitur num. XLIV. & sequenti, tota hæc controversia consistit in varia significatione copulæ EST, per quam extrema, subiectum nempe & prædicatum in dictis propositionibus conjunguntur. Eam autem duobus modis accipit: Primò, ut significat actualem & realem conjunctionem extremorum, in re ipsa existentem, ut cum dicitur, Homo est Animal, significetur re ipsa ita esse. Secundò, ut solum significat, prædicatum esse de ratione subiecti, sive extrema existant, sive non. In priori sensu, ad Svarezij mentem, veritas propositionum pendet ab existentia extremorum, quia juxta illam significationem verbum EST, non absol-

vatur

vatur à tempore, seu, quod idem est, significet realem & actualem durationem, quæ nulla sit, ablatâ existentia extremorum. In sensu v. posteriori, hæ propositiones sunt veræ, etiamsi extrema non existant, ac in eo sunt necessariæ ac perpetuæ veritatis: Copula n. EST hoc modo non significat existentiam, & propterea non attribuit extremis actualem realitatem in se ipsis: Nec sic consequenter ad suam veritatem requirit existentiam seu realitatem actualem. Sic vult Svarez: *Quin addit Propositiones in hoc sensu reducuntur ad sensum hypotheticum seu conditionatum: cum enim dicimus, hominem esse animal, abstrahendo à tempore, nihil aliud dicimus, nisi hanc esse hominis naturam, ut non possit fieri homo, quin sit animal. Unde sicut hæc conditionalis est perpetua: si est homo, est animal: Vel, si currit, movetur: ita hæc est perpetua: homo est animal: vel, cursus est motus.* Hæc ita Svarez.

XVIII.

Quæ si cui placent, dicendum est, quod quando formatur propositio perpetuæ veritatis de re non existente, non statim reale quid, de ipsa illa non existente re, affirmetur: ut, de homine non existente, animal, tanquam reale quid: Sed, si res, quæ nondum est, potest tamen esse, producenda est, cum tali natura producenda sit: ut Homo cum natura animalis. Iuxta quam itaque sententiam in propositionibus perpetuæ veritatis non affirmabitur reale quid de re non existente. Eum quidem in modum juxta Svarezium dubium solvendum esset.

XIX.

Sed posset fortassis huc quoque accommodari recepta Philosophorum regula, & per eam responderi: quæ nempe dicitur, *talia esse predicata, qualia esse permittuntur à suis subjectis.* Ita cum Christus dicit: *Herodes est vulpes;* tale est predicatum, quale esse permittitur

titur

titur à subjecto, h. e. prædicatum *VULPES* in alia significatione non est accipiendum, quàm subjectum admittit: & sic enascitur significatio metaphorica. Herodes enim cum homo sit, alio modo appellari vulpes nequit, quàm tropicè, idque propter astutiam. Similiter hoc loco, cum de re non existente, sed quæ tamen existere apta est, aliquid prædicatur, quod reale quid esse videtur; prædicatum alio in sensu non est accipiendum, quàm permittit subjectum. Unde si de homine non existente dicas, quod sit animal, prædicatum hoc *animal*, ita usurpandum, prout subjectum admittit. jãv. quia subjectum actu nõ est, ideo quoq; nõ permittit, ut prædicatum sumatur pro realiter existente: & ita in tali enunciatione non intelligitur animal actu existens. Verbo sicut ibi subjectum est res potentiã, ita prædicatum eodem modo accipiendum est, ut sensus sit: Homo (potentiã existens) est animal (potentiã existens).

XX.

His positis & explicatis, ad argumentum, quod antea adferebamus, & omni alias difficultate non caret, facilis est responsio. Falsa enim est minor, quæ hoc vult; de eo quod non est, sed potest saltem esse, enunciari prædicatum reale, & consequenter actu existens. Nam, ut advertimus, subjectum quod potentiã tantum est, non permittit ut prædicatum in tali significatione, nempe actu existentis accipiatur. Hactenus assentimur, si subjectum est actu existens, prædicatum æquè tale esse; procedit enim tum iterum regula, tale esse prædicatum, quale à subjecto permittitur. Id verò quoniam in minore non datur reperire, ceu ubi subjecto nõ existenti reale & existens prædicatum tribuitur, illam ipsam quoque pro fallace agnoscimus.

XXI. Abim9

Abim⁹ nunc ad alia, & eas quidē voces quæ ab aliquib⁹ pro synonymis entis perperam habentur. Vult Geilfusius Contemplat. II. in Philos. primam, conclus. VI. & VII. *Aliquid, Existentiā, Formam, Naturam, Quidditatem & Terminum* enti esse synonyma. Idem sentit D. Joh. Scharfius in Metaphysica sua Exemplari lib. I. cap. I. & præterea (quò numer⁹ augeatur) malè addit *Essentiam, entitatem, ac definitionem*: Provocat etiam ad auctoritatē Svarezij: Sed Svarez eas adeò simpliciter pro synonymis non habet, nequè id ostendere intendit, quemadmodū inspicientem non potest latere. Cæterū Geilfusio & præprimis Scharfio acrioris iudicii Philosophum STAHLIUM opponimus, qui in superius adlato Discursu aliud egregiè monstrat: Nam *essentia*, præterquam quod aliter definiatur, est aliquid respectivum: Essentia enim est alicujus essentia; Ens autem abstrahit à respectivo: cū dividatur in absolutum & respectivū: Nequè etiā omne ens alicuj⁹ Ens esse, potest dici. *Definitio* quoquè *Forma & Natura* assignatam synonymiam non sustinent. Si enim ens idē est, quod definitio: Homo non erit ens, non enim est definitio, sed definitū. Et, si ens idem ac forma, Homo iterū ens non est, cū forma non sit, sed formatū uti etiā non est *natura* sed naturatum, ut cunque demum vox naturæ accipiatur. Si itidem *quidditas* est ens, Petrus sub eo non continetur; quia ille non est quidditas, sed aliquid quod quidditatem habet. Item: licet *Terminus* sit Ens, tamen idem planè non est quod Ens: Terminus enim dicit nihil aliud, quàm vocem in propositione; uti sunt subiectum & prædicatum: Id quod Ens de se non importat. Præterea si pressè inquiramus, *existentia & entitas* cum ente idem non designant. Existentia enim est id, quo,

C

sive

sive per quod aliquid est extra causas, Ens autem est illud
ipsū quod est extra causas. Et Entitas infert potius abstra-
ctionem aliquam, quā ens in concreto. Argumentor
nunc ita. Quæcunque non tantum eandē definitionē
habent, sed & inter se discrepant plurimum, nō possunt
esse synonyma. Atqui Ens, Essentia, Existentiā, Defini-
tio, Forma &c: non tantum eandem definitionem non
habent, sed & inter sese plurimum discrepant; ut patet.
Ergo istæ voces nequeunt esse synonyma.

XXII.

Sed nec *aliquid* idē est quod ens, quanquā præter Schar-
fium & Geilfusū etiā hoc asserant Fonseca l. Met. cap. II.
quæst. V. & Mendoza disp. Met. III. sect. II. num. XVI. pluri-
miquē alij. Opinatur Armand^o de Bello visu tract. II. cap.
XXIII, Aliquid dicere ens ab alio divisū, & propterea tō a-
liquid esse quasi aliud quid: quā opinionē quoquē Thomæ
adscribunt. Assumunt hoc nonnulli, & eo pacto synony-
miam negant: Asserunt a. si tō aliquid explicetur per hoc,
quod sit habens aliquam quidditatem. Sed neutrum reve-
ra ita est: De prima acceptione ne solliciti quidem eri-
mus; quilibet enim novit, audito vocabulo *aliquid*,
non statim concipi diversitatem unius ab alio. Sed ne
tamen idem, etiamsi per alterum modum explicetur, no-
bis imponat, argumentamur: Si *ens* & *aliquid* sunt sim-
pliciter idem, eorum quoque opposita erunt simpliciter
eadem. Sed opposita *entis* & *alicuj* nō sunt simpliciter
eadem, Ergo nequē *Ens* & *aliquid* simpliciter idem
erunt. Major & ejus connexio est manifestissima. Minor
probat, quia *enti* opponitur non-ens & *alicui* tō nihil,
At verò quia *non ens* & *nihil* synonyma simpliciter nō sunt,
ideo nec *ens* idem est cum *aliquo*. Aliquid Ergo idem dicit
quod aliquod ens, sive ens sumptum cum signo particu-
lari.

lari. Nihil verò idem est, quod Nullum ens, sive, Ens acceptum cum signo universalis negante. Hoc itaque idem non esse cum non Ente nemo non videt. Admissio autem, quod *res* aliquid importet ens particulariter, & quod personaliter, ut loquuntur, supponatur, sane entis synonymum illud esse nequit: Ens enim est universalissimus & communissim⁹ concept⁹, neq; eandem cum *res* aliquid patitur restrictionem. Et ita tandem relinquitur: *aliquid* sub ente contineri, & cum omni eo, cui tanquam signum præponitur, ad illud referri. Ea in sententia B. fuit Stahlus.

XXIII.

Finem faciemus, si paucis prius attigerimus doctrinam de principiis. Principia igitur in duplici sunt differentia: Alia ESSENDI, alia COGNOSCENDI. Principia essendi dicuntur, à quibus aliquid in esse dependet, sive, quæ concurrunt ad constitutionem rei, ut sunt corpus & anima respectu hominis. Talia autem principia, possunt quoque esse principia cognoscendi: Nam à quo quid dependet in esse, ab eo etiam dependet in cognosci; ut, quoniam homo constituitur essentialiter ex corpore & anima: per hæc ipsa cognosco, hominem esse talem. Principia cognoscendi, (quatenus à principiis essendi distinguuntur, & principia sunt tantum cognoscendi, non verò essendi) sunt, ex quibus res cognoscitur tantum. Dixi: *quatenus à principiis essendi distinguuntur*: Principia enim cognoscendi bifariam accipi possunt, 1. *Absolute*, quomodo à principiis essendi non distinguuntur, quia per quod quid est, per id quoque cognoscitur, ut habet data regula. 2. *Exclusive*: qua ratione illa appellantur cognoscendi principia, quæ cum principiis essendi non conveniunt, sed ab illis distinguuntur, & sunt tantum cognoscendi principia. De principiis essendi & cognoscendi alias poterit

legi Jacobus Zabarella, libro de tribus præcognitis, cap.
IV. quod agit de speciebus & conditionibus principiorū.

XXIV.

Istis intellectis, quæritur, an Ens in sua latitudine, habeat principia sive causas essendi? Affirmative subscribunt, qui ens definiunt, quod sit id, quod ex suis principis compositum habet essentiam; quam descriptionem fallere, antea ostendimus. A parte autem nos stamus negativa, & ens in sua latitudine principia essendi non habere asserimus. Ratio est: Si enim Ens eo modo habet essendi principia, à quibus dependet; Ergò & DEUS habebit: quippe qui Ens est, & per consequens dependentiæ hujusmodi obnoxius, saltim in ratione entis: quod tamen absurdum. Potest nihilominus ens aliquod in individuo consideratum admittere essendi principia, cum detur, quod sui principium & causā, tam materialem quàm formalem & efficiētē agnoscat. Sed id nūc nō est in quæstione. Etsi verò enti in sua latitudine denegem⁹ essēdi principia: nō denegam⁹ tamē principia cognoscendi: quorū omnium primum est hoc: *Impossibile est idem simul esse, & non esse: item: Quod libet est, vel non est.* Atque hæc hæctenus. Possemus non nulla etiam adferre de attributis, item de conceptu formali & objectivo entis: sed ea aliunde, qui volet, petat: Nobis nunc ista sufficiant.

Irreperunt hæc errata: §. 2. lin. 4. pro *tum* ponatur *cum*. §. 5. lin. 14. tollatur vox *omnia*: & ponatur contra lin. 15. post vocabulum *Qua*: ut ibi sit connexio: *Unde manifestum est*: Hic verò: *Qua omnia vel ex* &c: cætera leviora sunt.

F I N I S.

Col. diss. A. 213, misc. 19